DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SYNOCHO CASTRENSI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER HAMILTON,

Scotus,

AD EXERCITUM BRITANNICUM

CHIRURGUS.

Πολλοῖς ἀνθιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως
Ὀρθῶς δ' ἀνθιλέγειν, ἀκέλι τοῦτ' ἔν ἔθει:
Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀρκεῖ λόγος ὡς ὁ παλαιος
ΣΟΙ μὲν τάυτα δοκεῦ' ἐσθίν, ΕΜΟΙ δὲ ἄδε.

EVENUS PARIUS.

Deficient inopem venæ te, ni Cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Quid cessas? Agedum, sume hoc Ptisanarium oryzæ.

HORAT.

Kal. Aug. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXVI.

JACOBO HAMILTON, M. D.

ARTIS OBSTETRICÆ IN ACADEMIA

JACOBI SEXTI EDINENSI

PROFESSORI,

&c. &c. &c.

VIRO

INGENIO ET DOCTRINA INSIGNI,

PATRONO MUNIFICO,

PARENTI AMANTISSIMO:

IN CÙJUS INDEFESSAM BENEFICENTIAM

MILLE GRATORUM OMNIA BONA

NUMEN IMPLORANT;

HOC (QUAM LEVE ET FUGAX!)

ANIMI SEMPITERNE GRATI

TESTIMONIUM,

CONSECRAVIT

NEPOS.

DE

SYNOCHO CASTRENSI,

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE.

AUCTORE ALEXANDRO HAMILTON,

AD EXERCITUM BRITANNICUM CHIRURGO.

PROŒMIUM.

Sexenne istud in Peninsula Hispanicorum Bellum, tanto nitoris nuper quod imperium et militem Britannicum illustravit, a morbo jam ordine tractando maximè et perpetuò vexatum est.

Quantum intersit materiæ hujus proba cognitio, rectius æstimabitur, si milites nostros fortissimos vel centuriatim in hoc diuturno

certamine malis ejusdem Febris succubuisse, reputemus.

Quanquam hujus tentaminis auctor cum Exercitu sociorum conjuncto stipendium a primo usque belli Hyeme, ad pacem postremo stabiliendum, meruerit: ideoque et propriis, et aliorum experimentis, occasiones mali perniciosissimi cognoscendi minimè desideraverit: Hoc tamen qualecunque offerendum sit, diffidenter offert.

Animadversiones enim cujusvis, manifestum est, eatenus valebunt, quatenus artis cognitio, observandi facultas subsint; præjudicia quidem notionum priorum absint: de quibus judicare, scribentis ipsius esse non potest.

Ex diverso, aliorum labores parum fructuosi nobis essent, ni probe constiterit, quod ex usu se didicisse confirmant, a vero et manifesto morbo revera provenerit: variæ medendi rationes enarratæ, ut ritè observatæ fuerint, donec effectus curationis non ampliùs esset dubius: ut longas ægrotantium historias, nun-

quam certè morbo assignato laborantium, non sæpe contexerint ; ni constiterit denique num ingeniosissimè tanti viri incisiones corporum aliquorum descripserunt, quæ ferrum, si non mentis acie, nunquam violaverat.

Paginis hisce, vitatæ sunt Hypotheses quantum maximum in re difficultatibus palam et undique pressâ, potuimus. Cum in omnibus dubitationibus ad verum tam lentè accedamus, tam raro attingamus ; arrogante sæpe aliorum, neque quam nosmetipsi plus itineris cognoscentium, indicatione fidendum erit. Ad munus eâ gravitate minimè nos valere, confitendum est ; quin a sententiâ magis solitâ si quando discessum sit, hoc solum commonefactum velimus, ut pauxillo ante consideratum sit, quam per viam tot aliis forsan errantibus tritam, imprudentes festinaverint.

Adjiciendum restat, discrimen inter proprium et alienum, forte mutuum, ope ut solet vanæ locorum citatorum ostentationis, de in-

dustria omissum esse: utpote absurdum imprimis et stolidum in opusculo doctissimis et scientissimis viris subjecto, quos nec novum, nec auctores, si quid mutuum sit, diu latebunt.

DEFINITIO.

Morbi jam describendi Indicia, capita in solita primùm tribuo: deinde, in historia ejusdem, hæc ordine ipsorum proprio accuratiùs recensebimus.

Pulsus frequentes, pleni, molles. Respiratio nonnihil mutata, calor auctus. Cibi fastidium, sitis. Lingua adusta, sordida. Urina rubra, saltem fusca. Alvus adstricta.

Hæc excipiunt pulsus minuti, debiles, neque raro inordinati. Spiritus difficilis, anxius, dolor capitis, at minimè acutus, vertigo, delirium. Calor naturam non excedens. Virium direp-

tus, vigiliæ. Nausea, vomitus, sitis nulla. Sudores frigidi. Urina in qua subsident subrubra et livida, dejectiones fœtentes, liquidæ, Lingua cum dentibus sordidiore adhuc tunica obvoluta. Petechiæ vibices, Mors.

MORBI HISTORIA.

Omninò fallimur, si hunc, aut quemlibet morbum intra signa, definiendi causa allegata, verè et in omni exemplo contineri speremus. Etenim res plurimæ ordinem signorum communem immutare conspirant; adeo mirum in modum alia convertentes, alia abigentes, ut haud rarò sagacissimi artis professores, ancipiti malo nomen condonare, ambigui hæserint.

Inde venit, quod inter medicos accuratè dignoscere morbos, summum ingenii et peritiæ discrimen habeatur. Certum est, proposito

morbo, si de hoc sententiam colligamus a singulari potius lineamento, quam ab universo ejus vultu, hæsitantiam curationis nostræ, nihil unquam si non ejusdem inertia, æquaturum esse.

Huc etiam aspicere oportet causam scrutantes, quomodo Exteri in tam infinitas species distraxerunt febres, omni nimirum utut levis mali mutatione, ansam satis validam exhibente quæ novum et ignotum febrium genus quasi describenda sit.

Affectuum febrilium nullus magis versipellis quam noster, neque id variis in hominibus tantum, sed iisdem, (hominibus,) variis temporibus. Præterea, ad cœlum, corporis *Temperamentum*, ætatem, proprietates hominis aliquas, variasque in causa adhibita vires existentes, ad statum corporis quoque præsentem animadvertendum est; quippe qui figuram morbi, vires et spatium magnopere temperet.

Nobile hujus exemplum Miles. Pristini et

flagitiosi mores, postea inter militiam externam, casuum subitorum patientia; ab cœlo temperato in cœlum torridum, a fatigatione durissima, fameque sævissima in abundantiam abnormem et voracem, otiumque desidiosum; a mapalibus contra solis ardores nihil defensis, castrisque paludosis, in conferta pestifera contubernia, transitus; illius morbos utcunque paucos, difficiles admodum et perplexos reddunt.

Quo simplicior res aliqua fit, eo plus additamenti Scientiæ de illa nostræ adjicitur. Atque morbus qui sequitur, figura illustriore repræsentatus erit cum docuerimus, eum, âctione rerum suprà dictarum probe perpensâ, a Culleni Synocho (febre plebis nostræ continua,) nihil fermè dissonare. Incipit enim Synocha, Typhus exit.

Litem inire nolo; sed usus nos satis superque docuit morbum omni procul dubio contagiosum esse. Qualiter autem quispiam sa-

nus, vel tenuissimi ingenii aut artis, modum quo et oritur et propagatur in plerisque exemplis contemplari potuerit, neque rem ita se habere persuasissimus deveniret, inter ea est, quæ omnem explanationem refugiunt.

Mensibus autumnalibus præcipuè grassabatur; et quantò calidior regio, tantò graviora indicia, velociorque febris cursus invenitur. Regionibus enim Phœbo propius admotis, corpori infirmato functiones variæ inordinatè celebrantur, Genusque Nervosum impulsuum multò capacius et tenacius redditur.

Juvenes et Robusti, ut videtur, huic affectui qualem contagio excitet, opportuniores existunt: tenues quidem et imbecilli citius ab eo rapiuntur, post frigus, humorem, aliasve quasvis causas excitantes. Neque hic subnectere alienum, quod discrimen satis manifestum inter febres hujus regionis remittentes, Synochumque Castrensem. Qua robustus juvenis e noxa æris nocturni, &c. corripitur, morbus fere semper remittere invenietur: in imbe-

cillis contrà, sub rebus parum diversis, synochum occurrere oportet.

Frequentibus verò castris, simulatque synochus, se ostendere cœperit, juniores et robustiores, sive inter hospitia, sive inter ægrorum ministros in valetudinario, ejusdem sævitiæ primi succumbunt. Huc, ut videtur, referendum est, ut grandiores milites qui quasi *Hastati* sunt, hoc morbo grassante, magis semper plectuntur.

His effectis notis, corroboratur, mihi suadeo, juventutem et vigorem capaciorem esse virium nocentium quas exercent febris causæ excitantes.

Hoc, sicut in aliis ejusmodi morbis, quantumcunque obscuræ existant remissiones, circa meridiem plerumque manifestè exacerbantur, sub vesperem autem adhuc evidentius. Huc referendum est, quòd recentiores aliqui scriptores miro errore hanc febrem Remittentem nuncuparunt.

Languorem tantùm insolitum per aliquot dies perciperent hoc morbo petiti, cum nescio qua incapacitate intendendi animum solitis laboribus et officiis.

Tandem vero, noctem versùs gravedinem universam, lassitudinem, articulorum pigritiem, queritur. Lumborum dolores, rigores fugaces, Oscitatio, Pandiculatio, rubores vultus leviculi, vertigines leves. Oculi cum dolore vertuntur. Lucis et soni impatientia. Olfactus depravatus. Sapor oris insolitus, alienatus; sitis nonnihil, cibi appetitus nullus, spiritus difficilis nunc memorantur. Lingua humida, striisque sordium albentium notata.

Cutis arida est, calor auctior, pulsus pleni lenes et frequentes: alvus constipata existit, urina coloris ruberrimi.

Hæc indicia ad trium vel quinque dierum spatium continuantur: hujus enim respectu variant variis in hominibus. Jam cutis solito tensior dat sensum caloris molestum digito

explorantis. Pulsus evadunt duriores, crebriores; et in temporibus dolor acutus et pulsans sentitur. Capitis etiam dolores obtusi, aurium tinnitus, respiratio citata, suspiria crebra cum anxietate superveniunt. Lingua tumefit, arefit, sordescit magis ex toto, cum exeritur tremens, fissurasque per superficiem exhibens. Pauxillula tantum sitis percipitur, dum nausea et vomitus subinde accedens, cum pervigilio hominem defatigant.

Hominem simul capit proclivitas in somnum assidua, ex quo primùm subsilit, sæpe terrefactus: tum non nisi difficultate aliqua plenè excitatur, cum responsa præcipita, parumque inter se hærentia, animi perturbationem satis indicant. Urina pallidior fit, alii alvi profluvium accedit, alii ejusdem durities.

Hæc, si nihil impediat, signa, die nona, vel duodecima a primo impetu, nausæ et vomitus augescunt. Horrores, tremores, anxietas, surditas, vertigo, stupor, *Comaque* superveniunt.

Vultus subsident, oculi, non amplius nitentes, obscurantur, oraque dejectionem animi clarissimè depingunt. Vires non modice prostratæ jacent: sitis calorque abeunt: pulsus arteriarum crebrò, subitò, languidè tamen micant. Sudores tenaces ex fronte et cervicibus exudant, cutis ipsa tactu est flaccida frigida et humida.

Vox æquo celerior, et stridula: somnolentia assidua; spiritus citatior, durus: cum Epigastrio gravato: subinde imbecillum, mussitans delirium, floccorum in veste carptus, pilorumque venatio accedunt: quæ sequuntur singultus, ventris profluvium, ut et ex naribus sanguinis venosi. Urina fere nihil mutata.

Jamque lingua et dentes materia ultra obducuntur, lingua vero protendi ore nequit: sin vero potest, in alterum angulum inclinatur. Urina materiam ex se fulvam demittit. Petechiæ, Sudores frigidi, glutinosi: urina et dejectiones sine sponte: devorandi facultus

læsa, visûsque obscuratio inter indicia extrema conspicienda veniunt.

Fætor singularis, vix aut ne vix quidem tolerabilis, ex spiritu, ex cute, ex urina et dejectionibus ægri provenit. Supinus cubat, deorsum ad pedes subinde delapsus. Facies, nares, auresque collabuntur, tempora cavantur, oculi immobiles, opaci, sunt: ungues liventes, membra frigentia.

Subsultus tendinum, respiratioque rauca, novissima denunciant.

Cæli autem plaga, anni tempora, temporum ipsorum natura, mali origo, ætas hominis, proprietates corporis et constitutio, sæpe neque leviter variant.

Tussis, sanguinis expuitio, cuticulæ flavedo, vomitio tantum non perpetua, abscessus, gangræna in locis pressui corporis subjectis, in aliis occurrunt. Aliis autem, diarrhœa vix ulla invenitur: tunica glutinosa linguæ, neque atra, neque crassa: singultus nullus, Pe-

techiæ nullæ, ne singultus tendinum quidem; aut post coma, mentis refectio inauspicata: quibus tamen nihil obstantibus miser extinguitur.

Morbus igitur in duo Tempora naturaliter diduci videtur: quorum alterum irritationem inflammatoriam continet, alterum vires, adeoque actiones, imminutas.

Primo Febris tempore, cum impetui aliquid iverit obviam, intra diem sextum, septimumve desiisse notum est: Posteriore quidem, tres hebdomadas diutiusque trahere.

QUÆ, RESECTO CADAVERE, ASPICIAMUS.

A prudentissimo medico nuper peracutè dictum est, " Conspectum conditionis morbosæ in cadavere solummodò proficere posse, si signis ante mortem notatis, comparatum."

Rem itaque obscurare, non illustrare esset, quotcunque in corporibus hoc morbo defunctis inter dissecandum visa sunt, ordine recensere, ut solet: nullo discrimine habito, num ea, omni exemplo adfuerint, signisve, dum vixerit homo, plane indicarentur.

Cum originariâ febre, conditiones morbosæ quæ revera connectuntur, paucissimæ sunt: effusio nimirùm seri colorati in cerebri ventriculos, nonnunquam ad plures uncias: venisque congestio sanguinis, in MENSTERIO nempe, intestinis et cerebro evidentior.

SIGNORUM ORIGINES.

Has, ut a parvo adhuc in re Pathologicâ profectu quem fecimus, patebit, merè conjecturales esse oportet.

Tempora duo morbi distincta sunt, et bre-

vitas subinde prioris, posterioris vero productio crebra, cum aliis ejus præcipuis indiciis, hoc modo fere explicantur.

Inflammatoria Irritatio, pleno et frequentiore arteriarum pulsu denotatur; spiritu quoque gravato, capitis doloribus; vultu rubido, calore adaucto.

Renixus infirmatus, pulsu debiliore, spiritu rapidiore, deliratione mitiore; vultu contractiore commonstratur.

Quod *Primi temporis Spatium* diversum in diversis hominibus sit; a differentia, sive in natura sive in vehementiâ causæ excitantis; aut mobilitate denique corporis ipsius ægroti devenire potest.

Diuturnitas provectioris temporis, verisimile est, renixui debilitatis æque tribuenda est; varietate quâdam in causarum excitantium naturâ et vehementia, quod pendeat: auxiliante simul corporis conditione aliqua

singulari. Huc usque tamen confitemur, nec ultra cognovisse, nescire est.

Perturbatio compaginis vasculorum, absorbentium, Nervorum universa hanc febrem denotans, et ipsa denotatur actione cordis intensa, qualem pulsus arteriorum, caput versùs impetus, pulmonibus ejus, visceribusque congestio ostendat: Partibus concoctionis propriis perversis, quod siti, linguæ conditione, nausea, vomitu indicatur; mutationibus demum Potentiæ nervosæ, per delirium abjectum, vires jacentes, manifestis. Rem autem propius attingere, considerentur

I. FUNCTIONES VITALES.

Quod pulsus subinde crebriùs lentiùsve micent, hæc videtur esse causa. Movetur sanguis *citiùs*, quia cute abactus, vasisque grandioribus collectus, cor ipsum stimulat et citat.

Lentiorum vero reddunt causæ remotæ, in cerebrum agentes, cordisque vigorem et actionem minuentes.

Respiratio Festinatior, sanguinis cumulo in pulmonibus oriri potest.

Suspiria crebro venientia, conatui forte cuidam ad eundem cumulum levandum tribui debent.

Spiritus impeditus sit, sive a sanguinis transitu per pulmones difficiliore, fabricâ nempe eorum læsa, viribusque moventibus infirmatis.

Dolores Capitis et vertigines, aucto forsitan sanguinis motui intrà calvariam, Cerebrumque urgenti, assignandæ sunt.

Delirium illud Submissum, aut viribus, ut videtur, cerebri imminutis, aut excitationi ininæquali debetur.

Tremores verò, aut debilitatis sunt, aut virium nervorum exhaustarum.

Anxietatem, sanguinis per pulmones, per

jocinus, aliave viscera, transitus impeditus facit.

Coma fit ex sero in cerebri ventriculos elapso.

II. FUNCTIONES ANIMALES.

Olfactum depravant nervi olfactus ipsi, aliqua ratione mutati vel læsi.

Visus primo acutus, postea *hebetior*, a retina modo excitata, modo debilitata evenit.

Gustus ore ingratus, linguam arentem, aut secretione morbida, saliva puta morbosa, obductam, causas agnoscit.

Auditus nimius, nimiove obtusus, a diversis cerebri nervique auditorii conditionibus ortum ducit.

Tinnitus aurium aut carotidis nimie pulsantibus fit, ut perhibent, aut sensu nervorum læso.

Vires jacent, quia cerebrum et compago nervosa male se habent.

Pervigilium nervorum irritationes inducunt.

III. FUNCTIONES NATURALES.

Sitim accenderint vel faucium insolita quædam conditio, ventriculi quoque, ejusque cum aliis particulis conspiratio.

Ciborum Cupiditas sive cuticulæ habitu suppresso, sive ventriculo ipso infirmato, perierit.

Nauseam et vomitum excitaverint fibræ musculosæ stomachi debilitatæ ; ejus cum cute summâ aliove quolibet viscere consensus.

Sudores Frigidi accedunt, quia totum corpus frigescit, quia multum seri contineat sanguis, quia facultates, denique movendi jam continuò infirmatur.

Pallor, urinæ Perturbatio, singulari quadam

neque adhuc bene intellectâ renum actione efficiuntur.

Stercus et urina sine sponte descenderit, resolutis et laxatis musculis vesicæ ani orbiculatis.

SENSUS DEPRAVATI.

Frigoris sensus reipsâ calenti, verisimile est, a motu vasculorum per summam cutem micantium corrupto et minuto, pendeat.

Lumborum dolores musculis ibi defatigatis, exhaustis, utique debetur.

Ardorem quem experiuntur per aliquam tamen ignotam, operæ calorem animalem gignentis alterationem, experiuntur.[1]

---

[1] Spasmus fortean vasculorum remotiorem sanguinem in partes intimas rejiciendo, in circuitu simul multo arctiore

DOTES MANIFESTÆ PERTURBATÆ.

Vultus rubicundior a sanguinis in caput impetu.

Cuticulæ Flavedo per serum ipsum subter effusum.

Oculorum defixus quasi status, ab eorum musculorum resolutione.

Nitor oculi solito opacioris a propriore se invicem lamnarum corneæ priùs lucidæ appropinquatione, accidere probabile est.

Sanguinis e naribus aquosi profluvium, Pe-

---

moveri cogit: quo fit, ut plus sanguinis sub quovis tempore per pulmones transmittatur quam solet: ideoque plus caloris (latentis quem vocant) eodem spatio huic adjicitur, qui per corpus digestus, et amplius et celerius solitò ad fines arteriorum editus, hominem totum calefacere necesse est.

techiæ, spiritus alvusque fœtens plerumque humorum putredini attributa sunt.

Quæri tamen potest, aliænè quoque rerum, Tempus Febris Castrensis posterius denotantium, rationes reddantur.

Respirationem gravatam possimusnè exponere per leves in cava pulmonis effusiones; aut per respirationis et glottidis musculos, cerebro intercedente, resolutione affectos; difficultas enim hæc delirii comes esse solet: aut per conditionem ipsius æris inhalati vitiatam et corruptam?

Cum ad verum ventum est, quid vetat ne anxietas, spiritus impeditus, delirium quoque quadam ex ratione ab aëre isto locali ægrum ambiente (Atmosphæram veteres non dixerunt) nervos, sanguinem, utrumve pulmonum urgente, nescio quomodo horum motus, et humorem per eos circumactum regente et temperante, omnino pendeat?

Quam hoc conjecturale sit confitemur illud

tamen quod nemo in dubio vocare auderet, huc manifeste spectat; commodum nimirum insigne a crebra febrientium ex alio in aliud cubiculum remotione perceptum: ministris antea si quando prope lectum ægri nimis diu assiderent, sensum molestissimum et gravantem expertis: milites vero hoc malo longè provectos, æri liberiori per multos dies carris objectos, post novissimum scilicet agmen præsidium capessentes, interim convaluisse. Hoc tamen alibi explicari possit.

Hæc autem comprobare videntur, involucrum aëris corpus hominum ultimo hujus morbi gradu laborantium qui circumjacet, si non provocare et sustinere indicia graviora; ea tamen multum intendere.

Vel principi hercules ingenio dedecori nihil esset, hic explorare an signa quæ putrescentia visa sunt, revera ab hoc assidue inhalato proveniant effluvio, mobilitatem nempè universam inducere multum proclivi.

Imprimis enim, cerebri, generisque nervosi

functiones nonnihil lædi possint, vel hoc aëre multimodis noxio, pulmonum nervis adhibito.

Aut hic aër sic vitiatus tantam sanguinis mutationem efficere potest, pulmonem transeuntis ut carbonis minus secernatur, caloris quoque latentis minus isto liquore resorbeatur. Sanguis, hoc pacto mutatus cordis mobilitatem fortè temperaret. Sive protinus ejusdem fibras afficiendo, per vascula coronaria ; sive circuito, peculiari quadam operatione in cerebrum. Quousque calor sanguinis *Specificus*, in secundo hujus morbi statu, vere minuatur, inter ea est de quibus adhuc minimè convenit.

Hæc res, adeo quæ momentosa, variis experimentis multum elucidari posset : qualibus detegamus quæ sint elementa hunc aërem componentia, quæve rationes (elementorum) aëris jamdudum ægro circumdati variis morbi temporibus, capite interim adeo levato, ut

aërem cubiculi alieni inhalet: deinde quantum acidi carbonici in aere sit a febricitante inhalato, explorando.

Indicia quod spectat, pórro, humores putrescentes quæ indicare creduntur, quanquam maximi professores id accidere auctores fuerint, nobismet, (nam fatemur) talis sententia, conditionibus fabricæ humanæ recognitis et fixis abhorrens admodum semper visa est.

Vocabulum *mobilitas*, si latissima significatione ad fibram tantum musculosam, ubiubi hæc certè subsistat, pertinere accipiatur; verisimilior non esset horum indiciorum explicatio, quæ in effecta mobilitatis universè minutæ eadem referret?

Confirmant nempè putredinem humorem existere universam. Locutionem hancce probè si comprehenderis, et sanguinem et secretiones quotquot in corpore fiunt, putrescere indicabit. Namque sanguine omni totam compaginem humanam etiam putrido huc il-

luc permeare, neque vitam protinùs corrumpere, concesso; concedendum et hoc oportebit: omnes nimirum secretiones eâdem fieri conditione qua flumen unde súas origines traxerunt. Perspicuum est, humores sanos secerni non posse de sanguine putrescente, jamque in alienissimas conditiones resolvendo.

Neque defuerunt occasiones, conjecturas hasce experimentis corroborandi. In Hispaniis, plures nostrum Sanguinis missione usi sunt per totum febris decursum. His opportunitatibus auctor usus est.

Venis tam arteriis laborantium per quodlibet morbi tempus sanguis detrahitur: idemque fit juvenibus sanissimis, ægrorum ministris: atque sanguis utervis sub iisdem, quantum fieri potuit, conditionibus, aëris operationi permittebatur. Nullo vero in exemplo citiùs corruptus aut resolutus est morbosus quam bene valentium sanguis: hoc est præ-

terquam quod in exemplaribus cujusque generis sanguinis singularibus se invicem comparatis, videre est, neque adeo facile explanatu est: nempe aliud ante aliud pauxillum putrescere. Panniculi serici ex *acetate plumbi* madentes, ut ipsum putroris initium indicarent, supra vasa cruore impleta, suspensi sunt.

Quod pulsum attinet, plus quam mereatur fiduciæ, huic, in morbo accedente, signo dari videtur.

Quid doceri possumus ab ægroti pulsu quem ante hanc diem nunquam conspìcati sumus! vocabula quibus ad ejus conditionem exprimendam utimur, comparativa prorsus sunt: itaque quoties pulsus PLENOS aut FREQUENTES dicimus, sanitate tantum pleniores, frequentiores significamus. Quo verò pacto hujus statum ante morbi accessum expiscari possimus? Arteriæ, dici solet, septuagies, et sexies, minuto (quod vocant) temporis plerisque adultis micant. Quam mille tamen exempla hanc

velocitatem nunquam assequentia, multoque lentiùs reciprocantia quotidie videmus.

Nihilominus, si pulsus tempore suprà posito centies non micent, pyrexiam quæ adsit importunam non judicamus: Mihimet quidem pulsus ultra octogesies non MINUTO repeteret, ideoque valetudine integerrima frui videremur: atqui sin idem incrementum alterius motui hominis adjiceretur, ultra centum pulsationes eodem in spatio produceret.

Exempla hujusmodi quotidiana sunt: medicumque docent quam minimè, primo in congressu, opus sit hujus motus propior animadversio, præter quod principium sit unde incipientes, morbi progressum computare possimus.

Neque silentio prætereundum est, pulsum variis quoque rebus affici; cibo, corporis positu, animi affectibus. Vocabula, quibus de pulsu loquimur, admodum vaga sunt. Modò vera PLENUM cum FORTI, modo iterum FRE-

QUENTEM cum CITO pulsu confundunt. Primo tamen arteriam plene ab omni cordis contractione dilatari oportet: Posteriore, digitum exploranti multa vi percutiat. Frequens est pulsus cum plurimæ dato tempore pulsationes sentiuntur; citus vel subitus, cum pulsatio quæque peragitur rapidissimè. Effusiones in cerebrum, variæque inciso cadavere materiæ congestiones repertæ considerari possunt; priores, mobilitatem cerebri vasorum lædi, posteriores vero compaginis arteriarum quoque imbecillitatem ultimam qua sanguis in venas ægre propulsus, iisdem colligitur, indicare.

Mirum denique videatur, DURATIONEM HUJUS MALI adeo incuriosè à me tractatam esse, præsertim cum notio febres certis et quidem opportunis diebus desinere non plus auctoritatis trahat ab antiquitate suà, quam a strenuis, et hercule inter recentiores sagacissimis et doctissimis sui fautoribus. Quis igitur adeo

ferreo vultus præditur, ut Historiam morbi Febrilis conscribere ausus sit, dies quidem criticos, seu sibi visos seu non visos, idem non dederit!

Quod ego conspicatus sum, memoria teneatis libelli mei perlectores! inter officia nostra militaria neque hilum amplius reddere in animo est. Neque vero de his omnibus ambigere vellem—sint veræ, non negam. Dictum tantum volo, parum esse utile, temporibus ejusmodi omnino attendere.

In plerisque exemplis observatio talis tam incerta reperitur, ut nullum usui commodum, nullum non fallax præsagium exinde deducere possimus. Atque hoc in quolibet ex plebe ægrotante, non minus quam milite verum est. Equidem seriò non credendum est, quos dira Egestas et inopiam et morbum sine querela perferre assuefecit, eos meticulosâ notasse cautelâ ipsissimam diem, si quando molestia morbiculove levi se peti senserint. Sub hoc

mali genere, si quid aliud mens et memoria in tantum labârunt, ut res adeo obscura qualis fuit ægritudinis prima accessio, memoria prorsus excidit.

Medicinam inter meliores ordines quibus minìma ægrotatiuncula curæ vix minus quam consternationi est, exercentibus, facultas morbi incessus accuratiùs notandi, sæpiùs obveniat.

Mors ab organo aliquo vitali læso in hac febre superveniat: superveniat quoque a mobilitate, nervorumve potentia exhausta: superveniat denique ab his omnibus conjunctis.

DIAGNOSIS.

Pulsuum venarum lenitas, cutis calor nihil magnus, oculorum et faciëi rubor—nausea vel sitis hunc morbum primo in tempore a synochâ distinguunt: a qua tamen tempus morbi

postremum adhuc manifestius discriminatur, Viribus vidélicet prostratis, functionibus animalibus ut vocantur læsis : secretionibus quoque, pulsu venarum, respiratione, sensibus internis afflictis. Acriùs denique morbo tunc temporis populanti animadvertendo ; sicut et ordini signorum causisque remotis, non difficile erit discrimen satis accuratum eruere.

CAUSÆ.

Causæ Febris hujusce proximæ et remotæ sunt, et has iterum in Prædisponentes et Remotas distinguimus. Atque notasse juvabit, morbum quibusdam in exemplis a causa excitante sola produci posse, nulla proclivitate in eum antecedente. Contra tamen, causa prædisponens, vel res potius prædisponere solita, cum diu admota, et intensa, morbum excitare valebit.

CAUSA PROXIMA.

Quicquid de morbi effectibus in corpore humano ratiocinemur errori et lapsui semper obnoxium erit, causæ scilicet eædem non continuò excipiuntur iisdem effectibus, quippe quarum actio a principio vitali multum regatur et temperetur. Ex ignorantia nostrâ tam actionum et munerum compagis hujusce mortalis, quam naturæ morbi ipsius evenit, quod nihil fere adhuc cognoverimus de causa Febris proximâ.

Varia autem inter commenta, de causa proxima excogitata, quidnam aut quæsitius aut opportunius reperiri possit quam in scholis medicinalibus nostratium omnibus fere quod acceptum est? omni fere parte sibi congruit, in universum simplex, verique simillimum.

Hujus quidem sententiæ assertores, cau-

sam ejus morbi proximam, *spasmum* seu *constrictionem* vasorum in superficie parvulorum intelligunt : cui accedunt vis major cordis arteriarumque : hæc scilicet ex illa oriunda, et producta dum conditio vasculorum naturalis usque redeat. Constrictio hæcce ortum trahit de viribus cerebri ab causârum adhibitione remotarum imminutis. Inde cordis impetus imbecillior, ex agilitate, debilitate, et exilitate pulsuum venarum manifestus.

Hinc sequitur, his duobus spasmum continuò pendere ; corde scilicet minus sanguinis in ultimos arteriarum ramulos expellente : causisve remotis, sine ulla intercapedine corpori adhibitis. Probabile satis est, ex horum alteratio ut spasmus gignatur pro natura cujusque causæ remotæ propriá.

Cutis totius contractio, imbecillitas universa, nexusque non ignotus cutem inter et ventriculum, ciborum fastidium, cordis motus a calore majore auctus, pleni frequentes pulsus,

nausea, vomitio, hanc vasculorum conditionem verisimiliorem efficiunt.

Hæc igitur, accessus nimirùm frigidus et calidus, status duos efficiunt, affectus Febriles distinguentes.

CAUSA PRÆDISPONENS.

Quæ corpus in hoc malum suscipiendum proclivius reddunt causæ, hæc sunt : *Temperamentum* ejus, consuetudo, proprietates aliquæ, sexus, ætas. Omne tamen de hac re præjudicium ablegare si velimus, confitendum erit, nihil actione causarum talium assumptarum obscurius esse posse.

Neque vero ex usu, cui hoc tantillum opus solo innititur unquam constabat, quod vel una rerum quas suprà recensui ullo in tempore satis æqualiter egisset, ut inter causas *prædisponentes* numerari mereretur.

Hominem Febricitare inclinat, quicquid aut nervorum irritationem, aut debilitatem induxit.

Imbecillitas totius corporis variare minùs videtur cum effectus causarum excitantium maximeque frigoris promovere vergit. Ætas, notandum est, certissime imperium habet in signorum vehementiam et spatium.

DEBILITAS ORIATUR,

A. Viribus Musculorum Minutis,

a. Directe—ab

1. Exercitatione vehemente
2. Statu (solito) longiore

b. Indirectè—per genus Nervosum vim cordis imminuens

1. Timor
2. Pervigilium diutinum
3. Exercitationem deficientem

4. Somnum
5. Intemperantiam

B. QUANTI ATE SANGUINIS MINUTA.

a. directè, à

1. Sanguinis profluvio

b. Indirectè, per

A A, DIGESTIONEM, à

1. Conditione organorum perturbata quæ digerunt
2. Ciborum defectu, seu quantitate, seu qualitate.

B B. SECRETIONES

1. Sudorem prodigum
2. Alvi profluvium sive morborum, sive arte effectum
3. Venerem immodicam

C. MORBORUM ALIORUM EFFECTIS.

Si quid auctius de harum rerum potentia in debilitate illa inferenda, quâ adeo enixè Synochus Castrensis inrogatur, disputetur, ultra limites utique longius vagaremur. Harum

plurimas, sicut ostendere infrà debebimus quasi propriis quamque viribus febrem excitasse affirmant; nulla proclivitate intercedente.

Hujusmodi notio, et temerè assumpta, latiùsque patere quam quod justum esse possit, videatur.

Intemperantia quidem, nullus dubito, nonnunquam more stimulantium rerum corpus excitare possit, quanquam paucioribus multo exemplis, quam hactenus creditum est.

Vi autem tam ingenti in musculorum viribus diruendis pollet timor, ut, instante periculo sæviore aliquo, milites, certe constat, facultatem movendi prorsus amiserint. Atque sùb hac ultima virium prostratione, sive Frigus sive alia quævis excitans adhibita sit, corpus in hanc Febrem non semel, incidit.

Quamobrem non judicandum est, quempiam corporis statum causam peculiarem extitisse cur hæc Febris ab ipsa causa excitetur, quæ diverso in corporis habitu, febrem ex

toto alienam procreasset: namque hæc quamcunque valetudinem, corporisque conditionem adoriri solet.

CAUSA EXCITANS.

Quod corpori adhibitam, operantibus simul causis iis quæ morbo illud adaptant, morbum excitare valet; id CAUSAM EXCITANTEM appellamus.

Jampridem dictum est, Synochum Castrensem, duo in tempora vel status dirimi; primum nimirum IRRITATIONIS EX INFLAMMATIONE, posterius RENIXUS VITALIS MORBI DEBILITATI. Attamen neutiquam facile explanatu est, quomodo, SINGULARIS causa, DUPLICIA hæc tempora simul producere valuerit. Neque credendum est, renixum infirmari ab antecedente tantummodò inflammatoria irritatione; cum quod nulla inter se invicem ratione

teneantur, tum quod aliæ febres inflammatoriæ hoc modo non desinant. Præterea, non debiles soli sunt, quos adoritur.

Nobis quidem si contagium quiddam imaginaremus, ulterius rem investigare opus non esset. Talis autem notio, neque ex usu, neque ex ratione constiterit. Nam quæ comperta hac de re habemus, sententiæ illi obviam eunt, monstrantia non excitantes causas solas esse Febrem hanc quæ intulerint: homines enim quomodocunque habitos (neque ullo discrimine) adoritur: locis in editioribus, in ventilatis, in humilibus, in paludosis, in hospitiis confertis, ubi alii antèa morbo eodem affecti sunt: pagisque desertis, longinquis, qua nunquam antea penetrasse notum; Militem denique sive causis liquidò præcorrumpentibus objectum, sive ex patrio solo jamjam advectum, lentoque itinere, placidaque anni tempestate ad commilitonum contubernia usque productum pariter invasisse. Adde quod qui ægro-

tantibus ministrarent,[1] raro sin unquam, febris accessum effugerunt.

Quale tunc argumentum, quæso, contagiosæ hujus morbi indolis proferri potest, quam hoc cui minus refragari aliquis possit? Sin ii, qui pessimo et fatuo exemplo adeo manibus pedibusque hanc febrem contagiosam non esse contenderunt, paullò frigidius dilectam suam sententiam fovissent, paullò attentius effectis ob oculos attendissent; multis adhuc vapidis et inanibus sermocinationibus fortè caruissemus, at plurimi hercle et dignissimi viri patriæ vixissent.

Morbi ipsius proprietatum rationes non melius forsan reddi possunt, quam a diversitate causæ excitantis et natura et vehementia, corporisque ipsius conditione.

---

[1] Hoc Ovidium non latuit; dicit enim, Ægro,

Quo propior quisque est, servitque fidelius
In partem leti citius venit.

MET. VII. 562.

CAUSÆ ISTÆ IGITUR SIC PONENTUR.

1. Contagium
2. Effluvia paludum
3. Frigus
4. Intemperantia
5. Insolatio
6. Animi affectus.

Contagium. Qui sententiam suam ab historia Febris carcerum traxerunt, halitus e corpore humano, etiam sanissimo, si per aliquod tempus unoque in loco retentos facultatem febrem excitandi nancisci crediderunt.

Effluvium corpore ægri exhalatum, quibusdam morbis laborantis, affectum morbosum aliquem profectò aliis intulit: sin hi quidem simul contagii viribus opportuni sint. Proba-

bile autem videtur, his noxiis viribus parem varietatis inesse : eandemque contagionem varias febres variis in hominibus inducere posse.

Pro ratione multarum, necnon diversarum rerum, certum est, contagium, longum per tempus in loco conclusum, in dies actuosius virosiusque fieri, licet neque morbi indicia intendantur, neque passus accelerantur.

Novimus ultra originem longè contagium non progredi : vestimenta quoque, aliaque supellectilia procliviùs imbui solere. Ex quo liquet inclusionem vires addidisse.

Si Contagium corpori assidue adhibeatur, hoc illius effectibus minus opportunum fit, aut læditur, quod immunitas febricitantes nutrientium, omnique hujusmodi munere fungentium satis declarat. Rem ita se habere nemo non vidit : rationem quidem reddere non amplius valemus quam miræ illius ventriculi facultatis qua se parat ad venena lethalissima impunè accipienda.

Restat adhuc, quod ulteriùs ostendat effluvia hæcce humana quamvis diu occlusa, morbum nusquam inferre. Hispanicis, cum Lusitanicis, et melioris et infimi loci cubicula ædium arcta, obscura, perangusta sunt, nullo ventilationi loco relicto, nisi introitu ipso. Talibus autem cubilibus isti istorumque patres, avi et proavi, omnesque màjores per sæcula plurima dormiverunt; iisdemque adeo meris effluvii humani (nisi spiritu alius inquilini nunquam agitati) receptaculis Præfecti nostri, centurio et miles somnum libenter capiebant: et hoc demùm impunè fecisse videbantur.

Neque verò contendendum est, consuetudinem hic multum egisse; longis enim itineribus, milites, ut æquum erat, assiduè contubernia mutaverant. Multoque minus affirmari posset, febrem non excitatam esse quia nihil antea corpus in eam inclinaverat, cum inter millia hominum quæ similiter habita essent,

corpus humanum omnem quam posset variationem subiisse necesse est. Contra hæc quidem omnia proferri possunt exempla plurima, quibus febres pestilentes de locis hominibus multis confertis, eruperunt, exempli gratia in navibus portoriis. Hoc utique concedendum. Nihilominus, non inde concludendum est, febres ex vaporibus corporis humani rejectaneis, dum sani, provenire.

Manifestum est, morbum prius in nave delituisse posse : neque clarè ostensum fuit, an res putrescentes animales originem malo non præbuerint. Credendum, a suprà dictis, non est quod aër parum ventilatus, et loca militibus accipiendis contractiora, aut eligenda, aut innocua sint : Neque vero denegandum puto, opinionem vulgarem, licet falsa et inepta demonstrari plane potuerit, solam Medicinam idoneam et tutam indicare.[1]

---

[1] Contagium, ut concludere æquum videtur, in alium

Paludum Effluvia febres intermittentes sola excitare plerique contendunt. Cullenus autem ipse hanc sententiam an omnibus partibus vera esset, jure dubitavit.

Num vero Synochus Castrensis ab alia causarum quâcunque assignatarum præter contagium unquam profectò excitetur, obscurissimum est.

Per autumnum anni 1809, Synocho illo adeo maximas inter exercitus nostros strages edente insignitum, quòd paludum effluvia subinde inducerent, nemo non persuasissimum habere potuisset. Hoc temporis Estremaduram Hispanicam tenuimus; dispersi scilicet per innumeros pagos, campum illum immensum per longum spatium operientes, ab Elvas

---

leniùs in alium violentiùs agit. Affirmant (quid autem miri non affirmant!) quosdam hoc delibutos vel duos menses circumcircà ambulasse antequam morbus se manifestaverit. Quomodo tamen contagium intrà corpus receptum est, utique nescitur.

usque ad Meridam. Guadiana hanc regionem Arcadicam fere irrigans, æstate in stagnis sistitur, ægreque marginem uliginosam præterlabi videtur. Eodem ipso tempore, quantum Silvæ ad febrem accendendam conferant, documenta egregia extitere; præsertim juxta paludes sitæ. Exercitús Nostri Divisio prima fluminis dicti ripas mapaliis considit, prope fines Sylvæ Talaveiræ Real. Unicuique relicto memoria adhuc viget pestiferi illius morbi ordines ejusdem Divisionis tam crudeliter ibi vastantis. Hac regione Febres intermittentes rusticos quam sæpissimè vexare solent, sed antequam nos adveniremus Synochus vix aut ne vix quidem incolis innotuerat.

Verumenimvero causæ quibus isti nihil obnoxii, nos paratiores ad id mali accipiendum reddiderat. Quod autem de hac dicimus, omni cautione dicimus, licet nobis contigerat occasio morbi contemplandi tam castris, quam valetudinariis totius exercitus, qualis nemini

fortunatior, paucis quidem adeo felix, præbita fuerit. Satis verisimile igitur, perpensis quaque re huc spectantibus, videtur, Effluvia paludum sub certis conditionibus Synocham, quodcunque hoc de argumento scriptitaverint auctores, excitare.

Naturam propriam et intimam et Contagii et Effluviorum paludum pariter nescimus. Americani quædam experimenta instituerunt, at nihil inde lucis nacti sunt. Intemperantia procul dubio affectum hunc inducere videtur, nulla quacunque præparatoria arte juvante, quanquam effectus ejusdem magis soliti, ut dictum est, debilitatem solùm nec directè indicant, adeoque in febrem corpus disponunt.

Frigus idem malum induxisse sæpe videtur, propriis suis viribus: hominem quidem imbecillitate qualibet priùs occupatum adoriens, inter frequentissimas excitantium Synochi Castrensis causarum existimandum est. Hæc Frigoris potestas, pro frigoris ipsius sævitiâ

variat; sin enim maximè intendatur, etiam minuere corporis proclivitatem ad febricitandum videtur.

Jamdudum observatum est, frigus, si humore conjunctum multo citiùs et intensius adversus corpus valere : e. g. si quando humi cubaverint milites, campo humente, joveque noctis frigido alsituri : Sese autem potissimum exerere, in prædispositos (ut dicitur) ubi frigus subito invaserit, quod in Tempestatum subitis mutationibus videre est ; aut in flamine quodam aëris adhibitum sit.

Insolatio, hoc est radiis solis corporis objectus id viribus Frigoris morbidis opportuniùs, a subita nimirùm caloris proprii mutatione, efficere, videtur.[1]

Corporis conditiones, his febribus suscipiendis quæ paratius id reddunt, frigore simul adhibito, hæ sunt : Debilitas imprimis seu

---

[1] Quid si febrem reverâ inferat, nervos irritando ?

modo quodam suprà dicto, seu corpore vestitu solito fortè privato ; seu alia demum parte corporis frigori, parte vero alia calori nimio objectâ proveniens.

PROGNOSIS.

Morbo de quo tractatur, indicia eventum faustiorem promittentia hæc sunt. Pulsus, calorque primo in gradu ad statum fere naturalem redactus, sicut post sanguinis non gravem missionem, alvique purgationem : aures protinus in primis diebus surdescere—sudores universi, tepidi ; alvi profluvium lene—pustulæ os circumdantes—furunculi. Æger quoque a stupore facile suscitari, atque delirium stimulantibus fugari, somnus verò ab iisdem conciliari, bonum est.

Pulsus autem subito sponteque subsidentes, spiritus magnopere gravatus, animi multum

demissi, deliriumque his brevi accedens, stupor, aures gravatæ, calor citò decedens—vomitus assiduus, virium prostratio maxima—Sudores, comitante delirio, et frigidi et fœtentes: urina atra, turbida; dejectiones liquidæ, pessime olentes: functiones vitales, secretionesque, remediis post idoneis exhibitis, aspectum naturæ propiorem sibi non adeptæ: hæc cum ita se habeant indicia, infesta prorsus consideranda sunt.

PROPHYLAXIS.

Morbus quivis arceri non posse videtur, nisi causæ et quæ præparant et quæ excitant morbum probe sciamus. De Prophylaxi autem Synochi Castrensis omnia quæ dici possint, non minus difficile esset sine ambagibus proponere, quam ambagibus omissis, non aliquid cognotu perutile cursu magis perfuncto-

rio præterire. Quid demum excogitare possumus hunc morbum depulsurum, quod plurimas alias humani corporis affectiones pariter non arceat?

Antequam modos cuipiam hominum generi valetudinem servandi suggeramus, oportuerit, procul dubio, in primis et genus vitæ, et morbos quibus opportuni sint, diligentissimè perscrutari.

Militum autem nostrum multo plures ii fuerunt, qui aut desidiâ, aliisve vitiis, impatientes vinculorum, neque idonei officiis societatis humanæ facti essent: quique inordinatum quemlibet appetitum simul ortum satiare consueti, absque ratione semper cogitaverant, agitaverant vero absque cogitatione.

Ipsa postea dura militiæ Disciplina, vix quidquam nisi fugacissimum in eosdem imperium obtinet: studiosè interim omnes occasiones captant, de futuro nil curiosi, lenocinandi et blandiendi cuique utut insanæ cupi-

dini vacuum fortè animum occupanti. Itaque et præsentem militiam perpessi, fatigationeque ab eâ et sudore confecti, primam sese offerentem vel putridam paludem ebiberent, eodemque uliginoso Cubili libenter pernoctarent, etiamsi probè sciverint, morbum nec levem certissimè secuturum. Iisdem, si nemo prohiberet, post æstûs et pulveris itineris diurni forsan perlongi molestias, gratissimum esset in veste inde madente humi se projicere, ibique residere usque dum fames excitârit. Longè plurimis exemplis, potius quam lectuli sibi sternendi laborem subire, miles lutoso suæ casæ solo, sicut vestitus est dormire maluerit; neque indusia lintea mutari ante aut purgari sinerent, quam merus fiant pannus. Itaque desidiâ torpescens, cibos, modò satis magnos, negligenter vorat: cum mandetur solummodò, e latibulo prorepturus. Victus igitur, mundities, vestitus, exercitatio, hospitii genus, omnia quotcunque com-

prehendunt ad præventionem hujus morbi pertinentia. Attamen hoc in loco nolumus, nisi cursim quasi hæc perstringere, conari.

Victus neque per se insalubris, neque copia parciore esse debet, sed corpus alens, probeque ad hoc manufactus; datus autem si fièri potest, certis, nec iniquis intervallis. Quod tamen confici non potest, ni præfecti, iique non mediocris ordinis, quotidie convictus militum inspexerint. Ubi nihil impedit quin jentaculum Nicotianæ Tabaco, quo, pernotum est, hos indulsos fuisse fraude vel salis ad jusculum imbuendum, suffici queat, sufficiatur.

Mundities ipsi victui proxima venit, tum quantum ad hospitia attinet, tum quantum hominum ipsorum corpora.

Ædificia militibus accipiendis accommodata, modo seligendi facultas data fuerit, in celsum perflatumque solum, palude, silvaque omni longè remota, fundari debent. Neque hoc dicitur quasi plus oxygenii sic intercep-

turi sint: constat enim experimentis Eudiometricis quæ vocant eandem ferè hujus copiam reperiri angiportu in arctissimo ac in aëre summi montis liberrimo: Atqui dicitur adversus effluvia rerum putridarum tam herbarum quam animalium ut probe caveatur; quæ effluvia nusquam surgunt, nisi paullum ultra originem suam. Cubicula aërem facile, frigus autem non admittere debent: crebro lavari pavimenta, dealbari parietes—Sordes quasque cito auferri: hæc omnia diligentissime ac attentissime observanda sunt. Lectuli autem ex calida siccaque materie plerumque negotio parvo conficiendi sunt, atque stragulæ culcitræ et cetera huc pertinentia sæpius aquâ lavari debent, et aëri omnem per occasionem patefacienda sunt. De corporibus ipsorum et vestimentis linteis mundities et accuratio non minor imperanda est.

Pari fere ratione, aqua frigida corpus perfundere juvat; cum eo tamen, ne qui illa

utuntur lavatione, alio quovis morbo, vel imbecillitate laborent : necnon ut aqua detergeatur, linteis ad hanc rem gratis concessis. Synochus autem haud raro consequi videtur cum miles, corpore adhuc madente, vestimenta statim inducere permittatur. Postquam æstui itinerisque pulveri objecti sint milites, quotcunque, præsidio illæso, amandari possint, commodè in proximum flumen, cum flumen adsit, lavatum ordine ducantur. De militum vestitu, verbis opus non est : scilicet qui densus pariter atque mundus esse debet. Quod si neglectum sit, ususque postponatur ostentationi, magna his injuria facta est. Æstate, cum, bello redintegrato, militum cuique detur, Epitogium, an stragulum sibi novum malit ; hoc semper præ illo deligendum est.

Exercitationi justæ multo minus quam oporteat attenditur : præter sanguinem nimirum æqualiter distributum secretiones salubres conservatas, usus a leni musculorum exertione

magnus animus : actuosior servatur, desidiosumque illud tædium arcetur, quod tota viscera concoctionem efficientia perturbans, concoctionem impedit, ideoque corpus ipsum magnopere debilitat. Hoc, ut credi supra proposui, corpus multo opportunius causis Synochum quibusvis excituris reddit.

Milites igitur, certis diebus, idoneisque diéi temporibus, iter satis longum conficere oportet : neque cessurum male esset interea si aut diversis muniis aut Palæstra versarentur.

Postremo, si militi victus, vestitus, Exercitatio hospitium idoneum præbeatur, neque synocho, neque cuiquam alio morbo facile obnoxius fiet.

Ipsi morbo, ne alios in valetudinariis contaminet, obvenitur, animadvertendo et ad ædes ipsas, et ad ægros inquilinos ; ad illas, puritate toralium, pavimenti, parietis, severissimâ : lavando nempè, affricando, dealbando, fumigan-

do; tribuendo denique synocho laborantibus, cameram sibi propriam, ablatis simul atque advenerint vestibus, aërique expansis, antequam illis jam convalescentibus reddantur. Lintea similiter detrahenda, aquâque mergenda sunt. Quod si his rebus parum attendatur vestes subter pulvinum servatæ, servabunt et ipsæ contagium in alia diu posthac corpora. Supervacuum esset indicare quod omnes scivisse oporteat, Toralia omnia et hujusmodi reliqua lavari probe deberi, aliis antequam ægris permittantur.

Convalescentes, per cubicula alia pervagare prohibendi sunt, neque sole jacere, quidve præter victum concessum edere vel bibere permittendum. Victum denique, munditiem, vestem, exercitationem ante omnia curæ nobis esse oportet. Neque vero levis momenti esset, militum per ordines crebra inspectio, ut vultus indicaret, si quis valetudinarii metu (istud enim plurimi horrent) morbum præ-

fectos celasset. Pari fere ratione, hospitia eorundem subinde invisere oporteret, ne qui cessatores, favore centurionum innisi, illuc sese receperint.

His, quæ hic dicta sunt, nihil obstantibus, Legio quæque et ordine et nexu variarum ejus partium mera machina est : atque res supra præscriptæ effici prorsus nequeant, nisi singulæ ejusdem particulæ officio quæque sibi debito fungantur. Ipsa tamen rerum natura obstat ne concursus eas inter adeo congruus fieri possit. Multum nihilominus hunc in finem conferret, si Præfectus ipse Legionis perculto ingenio, judicio perspicace valeret, Chirurgus autem scientiâ ; irrupta denique inter eosdem amicitia intercederet.

Quicquid tunc ingenium alterius perspicax suggessisset, ab altero sincerè et enixè adjuvaretur ; valetudo militis et commoda curæ maximæ fierent tum valetudinario, tum in castris. Denique, quibus militis cura mandatur, hoc agere debent ne unquam ii, quacunque de

causâ, duriora quam necessarium est pati cogantur: qualia sunt exercitatio nimis longa aut fatigans, eademque hæc tempore parùm idoneo: e. g. circa meridiem, vesperis aut mane vice: si quando peccatum sit, ne ultio sit status X vel XII horis sub ardente sole. Neque vero iter sub ardoribus meridianis faciant cum tempus opportunum magis præripere licuit; neque Tuguria prope stagna excitent cum solum salubriter elevatum in promptu sit: neque fluminà transire cum pons haud longe absit: neque castra sub pluviis metire in ipso oppiduli conspectu.

CURATIO.

Res igitur in quas omne consilium nostri dirigi oportebit, quum Synochus Castrensis curanda venit, hae sunt:

I. Morbum ipsum abbreviare—sin minus vehementiam temperare;

II. Malis debilitate provenientibus obviam ire;
III. Symptomata quæ aut exacerbant malum, aut alunt, subducere;
IV. Rationem victus conditioni morbi commodare.

Tempore igitur anni, et duratione Febris rite consideratis, hæc concilia explenda sunt:

A. Irritationem corporis inflammatoriam sedando:
B. Corpus ipsum suis muneribus ritè perfungendis, reddendo:
C.
   a. quæ concoqui non possunt ventriculo egerendo,
   b. alvus constrictior ne accidat, impediendo,
   c. Sitim extinguendo;
   d. vigilias quantum fieri potest, tollendo;
D. Cibum ærem, vestitum, exercitationem, probe curando.

Irritatio ex inflammatione, primordia hujus morbi indicans, optime tollitur minuendo sanguinem: quod fieri oportet, sanguinis detractione, et purgationibus.

Sanguis in Febre Hispanica tantus et toties detrahebatur, quantum, commento aliquo suffulciendo carenti, naturæ labores et conatus observanti et sustinenti, prorsus incredibile esset. Quatenus malè discriminata hæc medicina, eatenus ex necesse mala fuit: atque exempla infinita hoc extra aleam dubitationis posuerunt. Quomodo equidem aliter fieri potuit; quum indicia, tam planè inflammatoria, incipientis hujus Febris propria, tam celeriter in languorem manifestissimam accelerantur? Palam utique fuerit, quicquid istam exhaustionem intenderet, istud æque eventum funestum jacentis præcipitare.

Exempla, procul dubio subinde videntur, quibus arteriarum pulsus adeo pleni, validi existunt, quod modica sanguinis detractio uti-

que submonenda est, sicut è brachio aut juguli venâ, modo 8 vel 12 uncias plus minus non superet, pro ratione hominis, ætatis, corporis conditione, proutve malo eodem antea laboraverit.

Perpetuo ferè observatum est quibus sanguis largè emissus fuerit, eos lente convalescere, sin minus, eodem recidere, vel alio forsan graviori morbo brevi succumbere.

Dejectionis, utcunque per medium synochi tempus exitiosæ, in primo advocatæ nimium laudari non possunt.

Probabile est, Purgantia, quod ad rationem medendi plurimum differre. Quædam, exempli gratia videntur fibras intestinorem stimulare : alia glandes mucosas interiorem ejus faciem obsidentes : omnia, plùs minùs viscera ei contigua. Quædam celeriter agendo, stomachum protinus afficiunt ; sic prosunt : alia lentius, totum alveum intestinorum mitè agitant. Alia vero imam tantùm intestinorum

partem. Delectus talium remediorum igitur habendus est, pro ratione signorum sese offerentium, ægri habitus, generis vitæ: consuetudinis denique quod ad ejusmodi medicamenta. In hoc febre ea purgantia eligenda sunt, quæ vasa intestinorum exhalantia stimulant: atque sic molem fluidorum universam minuunt. A capite præsertim derivatio, eorum actionem subsequens nequit non beneficio corpus afficere. Sales medii omnes huic concilio optimè accommodantur. Quod varia Pharmacopiæ nostræ Purgantia attinet, notari potest, ea magis efficaciter operam dare bina vel terna conjuncta. Peculiaris, forsan et Topicalis singulorum effectus hoc modo cavetur dum intestinum penitius et integrius perpurgatur.

In conspectu rei adeo vastæ compendiario, curiosa Purgantium omnigenum recensio minime speranda est: Sat erit dixisse ne ullum quidem medicamentum inveniri, iis tantis in

hanc Febrem viribus pollens, quantis valere docemur. Calomelas exemplum sit. Nequaquam laudibus cumulatis meruisse videtur quas auctores magnificè in id contulerunt. Nihil sapere, spatium minimum occupare, ipsum tamen utile reddidere : quoniam his causis nonnunquam adhiberi potuit cum nulla alia id genus remedia tutò exhiberi possent. Hoc totum esse commodi a calomelane in hoc morbo derivatum, videtur : alvum purgat acriter, nauseam raro excitat.

Commode admisceri potest variis remediis, Pulverem jalapæ compositum, pulverem cinnamomi compositum, Pilulas aloes cum Colocynthide, Pilulas Rhei et aloes, componentibus : aut hæc sola dari possunt. Quousque purgantia tuto exhiberi possunt, effectu inducendo regimus : aut statu morbi tum existentis. Sic, cum conditio alvi constricta minui aut arceri debet, præsertim morbo jam longiùs progresso, ubi alvi durities sæpius occurrit ;

eadem acria medicamenta, quibus in tempore inflammationis opus est, utique non invocanda sunt. Regionibus calidioribus purgantia largissimè dari oportebit. Hoc creditur a muco iis locis superficiem intestinorum internam protegente, magnaque copia ibi secreta, pendere. Postquam sanguinis copia sic minuatur, velocitatem ejus tardare conamur. Hoc, forsan, perficiendum est, calorem corporis subducendo, nauseam provocando, sudorem exciendo. Copia enim sanguinis in corpore insolita, calor naturâ intensior, spasmus minutiora summa cute vasa occupans, causa forte præcipua hujus actionis arteriarum auctæ, quæ irrationem inflammatoriam constituere videtur, existit.

Calorem auctum reducimus frigore corpori admoto; et remediis refrigerantibus.

Frigida affusio in curatione Febrium diu celebrata est.

Hujus perutilis auxilii administratio, nullo

discrimine habito, in omni Synochi Castrensis exemplo præcepta fuit. Attamen intrà certos fines cohiberi debet; sive tempus, sive modum spectamus. Qui sine limite usurpari contendunt, in primo tempore quod inflammationis habes, aquam affusam sedare, in secundo quidem imbecillitatem roborare, affirmant.

Frigus satis intensum corpori tantum brevi admotum id stimulat. Atque sin eidem jam morboso vel sano quoque, æquo diutius illatum sit, debilitas utique sequitur.

Inficiàs ire nemo potest, quin Frigus, variis corporis conditionibus, idem roboret. Quales autem hæ conditiones sint, vel quomodo in his frigus agat, non hic explanare conabimur. Satis constat tamen, cum signa Typhoidea hujus mali secundo in tempore clarè manifestentur, nulla remedia alia, nisi sanguinis detractio, acriàve purgantia, quam aquæ frigidæ perfusio magis perniciosa esse possunt. Vires

vitales jam infirmatæ amplius adhuc extenuantur, omnique in exemplo notatum est, iis saltem exemplis sub nostris magis oculis cadentibus, quod hujusmodi curatio finem morbi infelicem accelerare videretur.

Modus ipse aquam frigidam per corpus perfundendi, vel maximè reprehendendus est. Quicquid boni a consternatione per subitam aquæ conspersionem effectum sibi finxerunt, mera somnia videtur. Multo verisimilius est motionem tam inopinatam et improbam, si sanguinis caput versus impetus existat manifestus, etiam malum intendere.

Inter insignia apud initium inflammationis indicia, paucæ res quam aqua frigida summæ cuti admota magis proficiunt, sive ex spongia, sive longa conspersione adhibuimus; cum eo tamen ut calor naturalem hominis constanter superet; pulsus pleni, crebri; spiritus facilis, cutis sicca sit, alvus nihil adstricta. Atqui tremoribus ex spongia admotu succedentibus,

calor externus, medicamenta quoque ventriculum excitantia, inferenda sunt.

Refrigerantia validè semper usui commendantur, ubi Febres tollendæ sunt. Creduntur æstum corporis lenire, actionem arteriarum minuere ; neque quid narcotici aut venenosi exhibere.

Chemia hujus ævi exquisita, plurima de origine caloris animalium indicavit. Is, ut putant, ex oxygenio per pulmones respiratione consumpto derivatur. Probabile apparet, consumptionem dictam minui posse, si in ventriculum tales res sumamus quales maxumam Oxygenii cōpiam continent. Quo facilius hoc oxygenium Chylo assimulatur, eo melius respondet.

Inde proprietates, contendunt, acidorum refrigerantes, salium neutrorum, victus herbacei, explicari possunt : in nostro morbo, itaque, invocanda sunt.

Salibus neutris, fortasse, pars facultatis refrigerantis in frigus ipso ventriculo effectum

referri debet. Hæc caloris abstractio, consensu cum corde communicata, stimulum et inde abstrahit.

Concessis tandem his omnibus, confitemur hæc remedia fiducia medentium parum mereri.

Nausea magnopere vim arteriarum frangit; atque cum sudor eodem tempore excitari solet, eadem remedia actionem cordis minuunt, spasmum vasis superficei tollunt. Horum Optima sunt ex Antimonio; atque ex his iterum Tartras Antimonii, et Oxidum antimonii cùm phosphate calcis, eligenda.

Protinus apud initium nausea ad vomitum perfectum agitari tuto potest; vomitione ipsa auxiliis idoneis promota. Materia quævis indigesta ventriculo sic ejici potest, dum motus sanguinis interea magis æqualis redditur, vis minuitur; summa tota cutis brevi relaxatur. Vomitus excitandus est, sive per febris exacerbationem sive cum impetus in caput versus

sit, ne vel hic intendatur, aliamve congestionem creet. Inde vomitoriorum usus, post depletionem factam modis jam dictis. Nausea lenis tunc sustentetur lenibus Tartritis antimonii dosibus. Exsudatio quam promovere pronus est, adjùvari debebit.

Quo in exemplo salium neutrorum modis parvulis exsequenda sunt: exque his optimus forsan Phosphas sodæ, liquoribus simul diluentibus large haustis: cum pediluvio sic ministrato ut levis sudor excitetur et sustineatur. Quæ si parum proficiant, ad remedia sudorem proprie elicientia confugiendum est.

Ex hoc autem adeo infinito medicamentorum genere quædam, vi singulari prodesse visa, indicari possunt. Itaque Pulvis Jacobi, vel antimonii, quem tamen minus valere satis constat, vinum antimonii, tartris antimonii, copiâ qualis nauseam tantum cieat, detur. Pulvis Antimonii calomelani adjectus, (mirum est quantum Diaphoreticorum viribus commistione ad-

jiciatur,) vel hæc compositio pulveri Ipecacuanhæ et Opii commista. Carbonas ammoniæ qui tamen largis diluentibus indiget, citrates Potassæ vel ammoniæ usurpari possunt, non tamen nisi amplis in copiis quidquam proficiunt; Camphora quoque cum opii portionibus minutis egregie operatur.

In Febre quantum prosint vomitoria adeo clare constat ut hic verba de ea re facere non opus sit. Vomitus autem vehemens vires vitales imminuet, ideoque in morbo hujusmodi diligenter cavendus est.

Præter Stomachi depletionem, probabile videtur vomitum sudorem evocasse ejusdem fibras subagitando, quam stimulationem mimima in summâ cute vascula in se accipiunt, adeo solvitur quo afficiuntur spasmus. Fieri nihilominus potest ut salubria eorum effecta beneficio solo agitati corporis proveniant, dirupta scilicet serie modo dictâ actionum morbidarum.

Hæc relaxatio, deinde in eodem servatur, *sudorificis* illis motum sanguinis accelerantibus, vasculave cutis summæ exhalantia excitantibus, ut videntur: vel denique cutem ipsam laxantibus.

Regimine interim adversus inflammationem curiosè persistendum est, quapropter calor, sive a causis externis, sive musculorum actione vitari debet. Spiritus festinari sermone quovis non debet, omnibus simul vitatis rebus affectus animi quæ accendere possint. Neque minus periculosam præbet cibus nutritius, potus meracior excitationem, qui ideo vetandi.

Acidorum ex herbis, potus effervescentis, diluentium, usu, sitis tollenda est; et stercora ne in alvo contrahantur, educenda sunt. At Hercules confitendum est, quantum auxilii a purgantibus et vomitoriis febrientes adepti sint, hoc a ratione perobscurâ pendere. Vomitus quidem proficere videretur, quia sanguinem et vim nervosam (qualiscunque sit)

æque per corpus digerat, quia liberum per cutem halitum evocet: quia ventriculum demum et intestina moveat, onera sua noxia, cruda, concoctionem non passa ut ejiciant.

Postremò, ad munditias acriter animadvertere oportebit. Hoc tempore, respiratio laborat, vigilia urget. Vesicantia, itaque, præcipuè pectori admota illi opitulentur: huic opiata, fomenta membrorum inferiorum conveniunt.

Synochi Castrensis Secunda Indicatio universa est, stimulantia et roborantia exhibere docet, deinde, ne materia contagiosa corpori applicetur, cavere. Horum priora sunt victus, medicamenta, præsidia externa.

Victus sic eligi debet, ut minimæ ejus portiones quantum maximum nutrimenti præbeant. Tantum vero abest ut opinio de hoc vulgaris (putredinem nimirùm impedire humorum, cum fruges solum homini victum constituunt) usu confirmetur, ut, quod huic pror-

sus contrarium, verum est. Oleribus ex toto interdici oportebit, quorum concoctio durior esset, quam statui viscerum huc servientium imbecillo, respondere possit.

Victus igitur ex animalibus, conditioque ejus optima glutinosa, ova, farinæ, velut triticea, variè sed leviter coctæ, Sago, Lac, &c. utenda sunt.

Medicamenta in auxilium convocanda vel stimulant corpus, vel roborant. Priora ex his adversus signa virium vitæ jam exhaustarum: posteriora magis idonea imbecillitatem tollere, quæ corpori morbo soluto, adhuc inhæreat. Inter hæc vero et illa parum discriminis intercedere videtur. Utraque vigorem corpori impertiunt: at stimulantia effecta præstant magis subitanea; ideoque corporis vires gravius affligunt. Genus Nervosum quoque instantius agitare videntur.

Hujusmodi vim æther quisque stimulantem habet, maxime tamen in usu est, æther sul-

phuricus; sed imperium quale in corpus obtinent, fugacissimum est.

Liquores ardentes ut vocantur, horumque princeps spiritus vini ex aquâ, omnium gratissimus est.

Vinum, stimulantia inter facile diffluentia quæ nominant, maximè per hanc morbi partem auxilio est. Vinum autem rubrum, vel si album, meracius, anteponendum est.

Hoc multo largius quam usu fièri solet, ministrari oportet. Quibusdam exemplis utile erit vino miscuisse aromata aliqua, postea calefecisse: paululum Spiritus vini huic demum adjecisse. Sic enim stomachus retinere sæpe valebit, aliter quod utique respuisset.

Camphora, inter curationes huic morbi statui idoneas, immerito prorsus contemnitur, vel fama dubia est. Nos tamen persuasissimum habemus, idem ubi copiâ satis amplâ exhibitum, remedium vel singularis commodi

devenire. Mistura autem camphorata hic nihil fere agit.

Hoc Medicamentum effecta optima præbere videtur, tantum cum solidum detur, ut in *Bolo*. Quinque primum grana tertiâ quâque hora dari possint, cum mistura aromatica quæ oleum volatile aliquod, opium et æthera in se habeat. Quantitas deinde Camphoræ paulatim augeri debet. Si nauseam vomitumve excitet, aromaticis nihil obstantibus, per inferiores partes in alvum infusa, juvabit.

Qui nunc scribit, Camphoræ ʒii subinde, hora interposita, et optimo ut visum est fructu, sæpius præcepit. Quibusdam enim hujusmodi exemplis, neque vinum, neque vini spiritus tam paratu faciles erant, ut malorum ægri mutationem ab his oriri aliquis credat. Nonnullis respiratio onusta, singultus, delirium perpetuum, alvi profluvium fætens, et similia fuerunt: tamen restituti sunt. Opium, procul dubio, ne sensus nimis acres fatigent utilissimè temperat;

irritationes compescit vino adjectum. Vix ulla hoc in morbi tempore dandi opportunitas adeo læva intercedere possit, quin insigne commodum conciliaverit. Melius autem modulis parvis acceptum respondet. Notum est cum sudorem cientibus, quale sit antimonii vinum, opium efficacius agere. Cute enim calente et arente, hoc solidum sæpius irritat.

Quousque hæc stimulantia exequenda sint, ipsorum effectus optimè docebit. Quum pulsus plenius firmiusque micat, calor intenditur: oculi solito magis nitent, genæ rubent leniter: modum eorum per temporis aliquantum augeri non licet.

Opium in Diarrhoea hujus febris propria, ex inferiore parte infundendum est ex amylo.

Aromata fere infinita sunt, neque aliter proficient ac robore quod ventriculo impertiuntur; et hoc sic excitato, auxilia valentiora ingeri et retineri possunt.

Inter illa sunt, Laurus Cinnamomum, Eu-

genia caryophyllata, Capsicum annuum, Myrtus Pimenta, Amomum Zingiberi: olea autem volatilia ex pimpinellâ aniso, menthâve piperitide elicita, in primis deligenda sunt.

Auxilia externa quibus uti necessarium est, illa sunt: Corpus per Spongia ex aqua calida cum vini spiritu lavare; Epigastrium aqua calida fovere; eidem vesicatoria aut sinapi admovere.

Protinus inter principia gradus morbi secundi, stupore soporoso accedente, calore autem cum pulsu arteriarium subsidente, spongia ex aqua calida per summam cutem recte circumducitur: tempore processo, aquæ injici liquores ardentes debent, aqua, ut mala sese prodant, paulatim abductâ.

Vesicatoria stimulo suo perutilia ad stomachi irritationes levandas reperiuntur, ad vires vitæ excitandas valentissima sunt: certe maturius juberi, liberiusque usurpari merentur. Caput, Tempora, Epigastrium, humeri

Femora interna, Tibiæ, vesicantia iterum iterumque subire tutò possunt. Sinapi pedibus admotum, in finem morbi utile esse credendum est.

Postremo cavere " ne contagium ægroto corpori assiduè circundetur." In vestimentis linteis, stragulis, conclavi, in corpore denique militis febrientis suspicacem purgationem observare oportebit. Ad minimum bis intra diem et noctem unam in diversum cubiculum transferendus est, sin minus, utique circa varias ejusdem quo est conclavis partes dimovendus, cura semper ritè habitâ ut situs post relictus probe fumigetur.

Modus ex alio in alium locum motandi ægrum nimis constanter imperari non potest: longè enim procul dubio, alius inter auxilia qui adeo mire proficiat ægro, non invenietur.

Cum, gravioribus indiciis sublatis, ciborum vero appetentia regressa, imbecillitas omnium

sola relicta sit; quod fieri debet, manifestius est quam ut hic dici sit necesse.

Stimulantia oportet omnia lente subduci, excepto vino, quo diutius semper perseverandum; quanquam et hujus copiâ, ut decet, minore.

Cibus paulatim augendus; nequaquam tamen pro cupiditate ejus redeunte. Frugibus omnino pro tempore abstinendum, neque certe constat, sintne potiones fermentatæ reduci valetudini parum utiles.

Exercitationes tam animi quam corporis lenissimas apud initium esse oportet. Modicis tamen somnis uti, neque solidam lecto diem terere ægro permittendum, omni simul alvi duritie vitata. Res denique in Prophylaxi indicatæ, hic quoque in usum revocandæ.

Roborantia iisdem temporibus adsciscere necessarium est, quæ quidem vix in fibram animalem plusquam principium vitale ipsum agere videntur. Stimulantibus hoc differunt

quod multò lentiùs vires suas exerant, quodque effectus stabiliores post se relinquant.

Vires eorum certè in stomachum primum agunt, unde, forsitan per nervos, in reliquum corpus distribuuntur. Quædam tamen, sicut metalla vias sanguinis intrant. Roborantia cordi vigorem restituunt; musculis, partibusque secernentibus conditionem naturalem attribuunt. Distinguenda à se invicem sunt, prout e fossilibus sive herbis parantur.

Inter Metalla Ferrum optimo jure præstare creditur. Hoc ut videtur nullo in statu corpori æque prodest ac quo ferruginatæ aquæ medicinales id usui præbent. His plerumque ab acido carbonico solutum est.

Alia quavis conditione, nauseam, Diarrhoeam, aliaque incommoda Ferrum infert, licet sæpius COPIA qua datur nimis larga hæc provocaverit. Ex eadem Carbonatis quinque vel etiam viginti grana utiliter dari possunt: Tincturæ autem muriatis Ferri decem vel quinde-

cim ex aqua satis proderint: unum plusque ad quinque usque grana sulphatis ferri cum extracto Cinchonæ miscendæ sunt, potuique danda: cum eo tamen, ut modi propositi bis tervè in diem repetantur, prout ventriculus plus minus facile priores retineat.

Varia atque diversa Ferri præparata in usu sunt, necne revera sint utilia dubitandum puto.

Sulphas zinci datum per modus minutiores sic, ut singula, ternave grana, præsertim ex amaris aliquibus, qualibus Extracto Gentianæ, &c. proficere visum est.

Acidum et sulphuricum et Nitricum ritè dilutum, corpus haud parum confirmat et roborat.

Ex Frugibus, Cinchona Officinalis, ut decet, primum in tam infinita familia locum sibi vendicat.

Postquam vero ingenium et dotes materiæ Extractivæ propius exploratæ fuerint, neque

decocto neque corticis cinchonæ *extracto* nobis fidendum est.

Pulvis ipse, modo nauseam vel vomitum vel capitis dolores non moveat, conditio omnium quibus adhiberi potest, optima est: sin minus, ab inferiore parte infundatur, opio et amylo adjectis.

Observari oportet, principium corticis actuosum quodcunque id denique fuerit, solubilius reddi adjectione acidorum, alkalinorum, calcis, magnesiæ.

Ubi ventriculus corticem non respuerit, in modis tantis dandus est, quantis recipi benè potest. Quantum verò hæc administratio proficiat, evidentius videtur in febre intermittente, qua unciam pulveris bis vel ter quotidie ipsi, et cum profectu egregio, dedimus.

Cortices salicis fragilis, haud raro utiles creduntur. Aristolochia quoque serpentaria, Croton Eleutheria, Cusparia Febrifuga, Swietenia Febrifuga, Colomba, Quasia Excelsa,

Gentiana lutea, Anthemis nobilis roborare corpus nec leviter, visa sunt.

His aromata adjiciamus, quorum mentionem jam fecimus. Quum ad finem ventum sit, quod sequitur recte narratum judicavimus, ne ratio medendi talis in paginis supra datis præcipitur, singulari cujusvis dicto inniti videretur.

Ratio medendi quam, Bello Hispanico flagrante, hac in febre omnes prosecuti sunt, fere nihil aliud erat præter sanguinis detractionem satis prodigam.

A. Anderson amœnus ille solersque Legionis sexagesimæ primæ Chirurgus, Egomet, Alius quidam, curationis tum vulgaris strenuè fautor, CCCLXVI hoc morbo implicitos sic curavimus, ut exitus, qualescunque provenirent, accuratiùs existimari potuisset.

Rem ordinavimus, adeo ut quotquot eorum ægrotarent, horum pars tertia cuique nostrum tribueretur. Ægrotantes sine discrimine ad-

missi sunt, et curati, quantum fieri posset, eâdem curâ, iisdem commodis adhibitis.

Hujus numeri tertia pars legionem sexagesimam primam agnovit, ceteri vero legionem quam mihimet curæ esse contigerit. Neque Anderson, neque Ego quidem, vel semel sanguinem mittere: ille autem duos, ego vero quatuor amisimus; ex relicta tertia parte, XXXV febrientium mortui sunt.

Pars hujus tentaminis Hypothetica, multis certe in præsentia dubia videatur, neque longo, ut metuo, posthac tempore, omnibus. Sic fata, omnibus Theoreticis obeunda, tantum obibit; pro tempore placent; ævum sibi curtum ægrè perdurant, brevi oblivione premenda.

Pars tamen practica, præsertim quantum militis curam et salutem attinet, ab experientia propria deducitur, ratione corroborante. Qui bello nuper in Hispania interfuerunt, sub Illustri homine qui rem medicam exercituum Britannicorum administrat, nondum obliti

erunt, quam solicitè edocuit, potius arceri quam curari morbos oportere. Meminerint, dico, Egregii Jacobi M'Gregor semper cum summa veneratione; grati ob auxilium, et patrocinium quod morum suavitas acceptius adhuc reddiderat: neque minus ob notitiam præclaram, quam dotes animi ejus insignes, tam facile præbent et illustrant.

FINIS.